



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Adiuratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

nem: qui verò iurat coactus, potest
 quivocare, & non tenetur. Si verò non
 est vsus æquivocatione; tenetur, nisi pe-
 tat dispensationem. De commutatione
 vero, & relaxatione iuramenti idem di-
 citur, quod dicitur de voto.

Si quis verè habeat, voluntatem iu-
 randi iuramento promissorio, & in ma-
 teria honesta; statim sequitur obliga-
 tio illud implendi: etiam si quis, per
 ignorantiam, iuraret sine voluntate
 obligandi.

8 Si iuramentum promissorium fiat
 de actu virtutis soli Deo promissæ; se-
 quitur naturam voti: non enim obligat,
 nisi sit de meliori bono, vt dicitur de
 voto: si verò sit de promissione facta ho-
 mini; obligat, etiam si non sit de melio-
 ri bono. Aguar de Iuramento *Azor. tom.*
3. cap. 11. initio. Suar. tom. 2. de Relig.
tract. 5. Filliuc. tom. 2. tract. 25. Tolet. lib. 4.
cap. 20.

De Adiuratione.

9 **I**uramentum consequitur Adiura-
 tio. Est autē Adiuratio cum indu-
 citur aliqua persona ad aliquid faciendū,
 vel

vel non faciendum inuocatione Dei, vel alicuius rei sacræ. Dupliciter autem fieri potest. Primo per petitionem, orationem, vel obsecrationem. Secundò per imperium, & coactionem: & si fiat cum debitis requisitis est actus Religionis: de quo *S. Thom. 2. 2. quæst. 90.*

10 Requiritur in Adiuratione proportionaliter tres illi comites iuramenti supra explicati: nempe veritas, iudicium, & iustitia. Veritas primò consistit in eo, vt adiuratio fiat per verum Deum, aut res verè sacras: vt si quis dicat rogo te per Deum omnipotentem, per Iesum Christum, per Beatissimam Virginem, &c. vt hoc, vel illud facias, &c. Vnde si Adiuratio fieret per falsos Deos, aut Dæmonem, aut quid simile; esset ex se peccatum mortale reductiuè ad Idololatriam.

11 Secundò veritas consistit, vt non fictè res aliqua petatur: id est animo non obtinendi illam. Terriò, vt si in petitione assignetur causa, ea etiam vera sit, & non ficta; vt si quis propter fictam paupertatem peteret eleemosynam propter Deum, &c. Et in his duobus regula-

gula-

gulariter erit peccatum veniale, quantum spectat ad Virtutem Religionis, nisi adsit contemptus, vel aliqua alia circumstantia grauioris peccati.

12 Iudicium etiam requiritur in Adiuratione: vt scilicet fiat cum debita reuerentia, necessitate, aut vtilitate, & non temere, & inutiliter; ne assumatur nomen Lei in vanum. Defectus autem huius circumstantiæ communiter est peccatum veniale, vt dictum est de iuramento.

13 Iustitia etiam requiritur: vt scilicet per adiurationem non petatur res iniusta, aut mala. Vndè, sicut etiam dictum est de iuramento, si res erit mala venialiter; erit etiam adiuratio mala venialiter; si verò res erit mala mortaliter; ita erit, & adiuratio. Vndè, si quis peteret fornicationem, vel homicidium, &c. per Deum, aut Sanctos; peccaret mortaliter non solum per desiderium malum fornicationis, sed etiam contra Religionem.

14 Cum debita humilitate, & reuerentia possumus orando, & deprecando adiurare Deum ipsum, per se ipsum, & per Iesum Christum, aut per Sanctos,

ran-

tanquam per personas sibi grætas, & dilectas, & per sacra mysteria ob nostram salutem peracta, vt per Passionem Christi, &c. Ita possumus Beatam Virginem, & Sanctos homines, & Angelos petendo, & obsecrando adiurare per Deum, & Iesum Christum, & per se ipsos; non autem per creaturas inferiores. Similiter possumus omnes viatores adiurare per Deum, &c. Nullo autem modo possumus adiurare Dæmones deprecatiue; & regulariter hoc esse mortale.

15 Adiurare imperatiue, & coactiue possunt Superiores suos inferiores in rebus, in quibus sunt subditi, & non aliter. Quo casu, si præceptum Superioris, cui adnexa est adiuratio, obligaret ad mortale; peccaret quidem subditus non obediendo, sed non peccaret per se ratione adiurationis; nam adiuratio in tali casu non inducit nouam obligationem in subdito, & multo minus in eo, qui non esset subditus.

16 Creaturæ irrationales, vt animalia nociua, grandines, & tempestates, & familia, secundū se directè, & propriè nō
pos-

possunt adiurari; quia non sunt capaces rationis, ut possit per adiurationem moveri ad aliquid; quatenus verò moventur, siue à Deo in pœnam peccatorum, siue à Dæmone iniquo animo ad nocendum; possunt indirectè adiurari, siue adiuratione deprecatiua in ordine ad Deum, siue imperatiua in ordine ad Dæmonē; & ad hoc vtimur Exorcismis. Possunt etiam impropiè adiurari, per immediatam efficientiam supernaturalem super ipsas creaturas irracionales, explicatam per imperium metaphoricè dictum; sicut Christus Dominus imperauit ventis, & mari; hoc autem spectat ad virtutem miraculorum.

17 Licitè possunt Dæmones adiurari, ut pellantur à corporibus obsessis adiuratione imperatiua, & coactiua, in nomine Dei, & Sanctorum, &c. In hac autem adiuratione non sunt curiosè interrogandi Dæmones de rebus, quæ nihil conferunt ad expulsionem, vel fidelium ædificationem; alioqui intercederet superstitio; quæ, nisi fortè excusaretur paruitate materiæ, esset mortalis. Hæc autem adiuratio publica, & ex
offi-

officio, solis ministris Ecclesiæ habentibus Ordinem Exorcistatus conuenit: priuatim uerò, ex Fide, & fiducia in Deum, possunt ceteri fideles adiurare Dæmones: præsertim qui haberent hanc gratiam gratis datam illos eijciendi.

18 Solet etiam esse inter homines adiuratio quædam moralis, & politica: ut cum petunt aliquid ab aliquo, propter uitam suam, aut filiorum, aut quid simile, sine ordine ad Deum, & res sacras. Hæc autem nihil habet peculiare distinctum ab ipsa petitione. Quare si petitio erit mala; erit pariter hæc adiuratio. Plura de his habet *Suar. tom. 2. de Relig. tract. 5. lib. 4. Sanch. in summa tom. 1. lib. 2. cap. 42. Filliuc. to. 2. tract. 24. c. 8. q. 7.*

De Voto.

19 **V**orum est deliberata, & uoluntaria promissio facta Deo de meliori bono. Per Deum intelliguntur etiam Sancti, quatenus peculiari modo sunt Deo coniuncti: dicitur de meliori bono, id est de bono, quod non sit impossibile cum alio meliori: atque
adeo